MASTER
NEGATIVE
NO. 92-81131-11

AUTHOR:

BAUMGARTEN-CRUSIUS,
LUDWIG FRIEDRICH

TITLE:

DE PHLOSOPHIAE
HEGELIANAE USU...

PLACE:

IENAE

DATE:

1826

Master Negative #

92-81131-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

193H36 Baumgarten-Crusius, Ludwig, Fried-
Z rich, Otto. 1788-1843.
...De philosophiae Hegelianae
usu in re theologica.
Jenae 1826. Sq. O. 18 p.
Jena (Ger.) Universität. Programm.
29512 No. 6 of a vol. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-1-93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No.-6

SACRA PENTECOSTES

A. MDCCCXXVI.

PIE CELEBRANDA

INDICIT

ACADEMIA IENENSIS.

De philosophiae Hegelianae usu in re theologica

scripsit

LUD. FRID. OTTO BAUMGARTEN-CRUSIUS,

THEOL. D. ET P. P. O.

IENAE,

PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA.

MDCCCXXVI.

CAROLUS AUGUSTUS

DEI GRATIA

MAGNUS DUX SAXONIAE,

VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCEPS, LANDGRAVIUS THURINGIAE, MARCHIO MISNIAE, PRINCIPALI DIGNITATE COMES HENNEBERGAE, DYNASTES BLANKENHAINII, NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMUS

S. D.

C I V I B U S

GRAVITERQUE EOSDEM HORTATUR,
FESTOS DIES
V T
PII AGANT BONIQUE,
FACTOQUE IPSIS OTIO
SIC FRUANTUR,
RECTUM ANIMUM MORESQUE COMPOSITO
UT DEO BONISQUE PROBENT.

Dum commentandi aliud pararemus argumentum, et inchoati morae exsiterent; placuit e studiis nostris hoc depromere, quod indicavimus: gravissimum certe, sed in quo disputando venia lectorum nobis maxime expetenda sit. Et cum theologis facilius nobis conveniet; sciunt enim hi et consitentur omnes, esse hac potissimum aetate philosophorum de nostris rebus sententias et ipsis curatius aestimandas. Sed sunt inter philosophos hodie, qui nostrae arti hoc datum negent, ut de philosophia sententiam ferat. Nimirum nostra haec causa est de religione et re christiana, quam e philosophis aliqui male habuere: praeterea philosophiam et sibi vindicat ars theologica, quae una per longi temporis barbariem eam et tuita fuerit et sustentaverit. At si de literarum commodo quaeratur; accommodatum facile censeas, disserere et nostros de rebus philosophicis, ad quos propius attineat animi humani vitaeque necessitas, quam in scholis subinde neglexere; praecipue in hoc argumento: nec possunt se theologorum studia positivae religionis historia et explicatione continere, quae quorundam voces exstiterunt. Neque, qui nostra aetate inter theologos philosophiam e theologia exclusam voluere, modo intelligentes essent et recti; cogitavere, nisi hoc solum, in *historico* argumento non esse e philosophia ducenda quaerendi et explicandi praesidia, sed rem, ut in se habuerit, describendam.

Verum ista si talia nobis concedantur, hanc nobis viam praescribemus disserendi de *Hegeliana* disciplina, quoad nostras res ea propius attigerit; ut summum eius argumentum praemittamus quaestioni, quae ad ipsam hanc causam attineat. Sed dum hanc agemus, iudicanda primum censebimus praeconia, quorum non parcos esse in sua causa amicos istius scholae novimus, qui, religionem etiam ea adiutum iri, praedicent; deinde, quae in literas ac philosophiam, in religionem, theologiam denique atque ecclesiam, ex ista disciplina vere redundare queant, ea candidi et verecunde explicabimus. Quae si quos errores nostros secum attulerint; paratam dabunt veniam, qui rei difficultatem no-

verint, praeſertim inconſueto hoc ſermone eloquendae; ceterum minime, ut nobis videtur, inepto ad talia etiam explicanda.

Ut ab ipſa igitur Hegelianae ſcholae doctrina auſpicemur; aliqua iſtic praeiudicata exſtare videntur inter noſtrates, eos etiam, qui illi patrocinentur. Etenim ſi mittamus, qui e ſpecioſo tantum civitatis commodo eam aeſtiment, aut in iudicanda etiam prorſus falſi ſint; accidit in hac etiam ſchola, ut, quae ad philoſophiam recentiſſimam, praecipue ſpeculativam, quam dicunt, omnino attineant, decreta et effecta, ea huic ſoli ſcholae tribuantur. Scilicet eius philoſophiae complementum habendum eſt Hegelii ſchola, quam Schellingius olim commendavit, ſed deſeruit poſthac, dum ab idealismo magis ſemper deficeret; adeo, ut ex eius ſchola deinceps et materialismi et myſticismi commenta ſive exſtiterint, ſive incrementa ceperint: ut non miremur, e tali philoſophia etiam Swedenborgii ſomnia nuper iuvari potuiſſe, et poſſe haec noſtrorum quibusdam placere; quae materialismum myſticae theologiae conciliare inſtituerint, licet alia plane prae ſe ferant.

Mens humana cum de rerum principiis penitius quaerit, iis non contenta, quae ſua ipſius conſcientia, pauca, at graviſſima, contineantur, neque cohibita iſtis, quominus quaerat; duplicem ſibi videt patere viam, nempe, ut ſupremam cauſam vel ſic agere cenſeat, quemadmodum res externae agant, vel ſuam ipſius efficientiam et illi tribuat. Illam antiquiſſimi philoſophi rationem commenti ſunt, ſed excoluit Ariſtoteles: pietatem cogitandi ſervavit Plato. Huic orientalium religionum principia praeluſerant, poſtquam ex emanatiſticis ſe decretis explicuiſſent; [1]) favebant deinceps ſeriorum ſcholarum plurimi, ſed inter noſtrates poſtremus idealismus, quem Fichtius introduxit. Sunt autem *tres* modi primitivi, quibus ſit et agat humana mens: quod in ſe ſit, quod obiecta ſibi aliqua habeat, quod ex his denique ad ſe ipſam redeat. Hoc e priſcis illis orientalium decretis Platonici iam ſumſerant; ſed explicuit Fichtius, ita tamen, ut ad ſingulas, quae exſtarent, mentes, aut ad *humanam* mentem univerſam, referret, et idealiſticae ſententiae ſubſterneret. Ad *abſolutam* mentem retulit Schellingius, aliter tamen, ac Platonici: nam, cum, ſemel id et in rerum principio obtinere, hi cenſuiſſent, ut ſuprema natura in *νοῦν* et *ψυχήν* transiret, ille continuam hanc abſolutae mentis efficientiam conſtituit, quae ipſa rerum vita habenda eſſet.

1) Ex his multa plane appoſita diſputavit Ven. Tholuckii liber: *die ſpeculative Trinitätslehre des ſpäteren Orients.* Berol. 1826.

Igitur Hegelius, qui hanc ſibi viam et rationem ſervavit, abſolutae mentis, (a qua ſublimioris philoſophiae principium fiat) has ipſas continuas eſſe cenſet actiones (*κινήσεις* etiam dicit), ut in ſe ſit, ut ſibi ſe obiectam teneat, denique quod utrumque coniungatur. Eas rerum naturam abſolvere, ita, ut non modo eadem lege cuncta ſint et eveniant, ſed in triplici etiam illa actione ſola rerum ſumma inſit. Nullam aiunt rationem eſſe et philoſophiam, cum praeter iſta quis cogitet. Neque vero hanc univerſam tantum rerum naturam eſſe, ſed in ſingulis etiam cunctis ſic repeti, ut et nova ſemper genera his tribus formis exiſtant, et ipſa ſingulorum vita ad iſta tria referri poſſit, quibus nihil non contineatur. Primam igitur in univerſa philoſophia ſpectandam rerum eſſentiam (*τὸ εἶναι*), deinde externam naturam, tum mentem, atque utriusque huius et genera et efficientiam: unde tres facit philoſophiae univerſae partes, ſublimiorem logicam, naturae, et mentis philoſophiam.

Sed notabimus hic ſtatim, quam ambigue iſta definiantur, ſi ipſam rem cummaxime concedamus; hanc enim infra attingemus. Nimirum tres illae formae, quas primitivas ſcholae iſtae habuere, dum explicantur, diverſam vim habent; et cogitantur *vel* interna, externa, mutuusque eorum nexus, qui vel re, vel cogitatione fiat, *vel* eſſe, opponi, coniungi ſibi (theſis, antitheſis, ſyntheſis); *et*, cum de rebus animi ſermo eſt, ipſa animi vita in ſe, inferior deinde (reflexa) cogitatio, ſuprema denique, ſpeculativa, rerum meditatio, dum ipſa ratione, et ad cognoſcendas ipſas res, utamur. (*Subjectiver, objectiver*, *abſoluter Geiſt* etiam appellatur.) Facit iſta formularum ambiguitas, ut continuus et univerſus doctrinae iſtius nexus, ſpecioſus potius quam verus ſit; in ſingularum rerum trichotomia ea potiſſimum comparet: fuit eadem denique in vetuſta apud orientales triados divinae deſcriptione, quam ante iam ſignificavimus.

Deum autem et abſolutam mentem et ideam eodem prorſus ſenſu dicunt, cuius ea et neceſſaria et continua explicatio ſive (ex antiquo vocis ſignificatu) exiſtentia ſit. Sed ita illum ſe explicare, ut in ſingula ſemper et individua, quae eſſe queant, omnia (totalitatem dicunt) tranſeat, atque ex omnibus deinde ſe ſemper recipiat. Solent vero philoſophi iſti tres hos gradus dignitate et loco diſcernere, ut, quae in primo illo inſint, minime ea clara et explicita habeantur; ſumma autem et digniſſima, quae in tertio.

Verum in univerſa rerum natura ſic explicari aeternam mentem, quemadmodum diximus; in ſpirituali autem mundo (ita ſi loqui liceat inter philoſo-

phos) redire ad ſeipſam. Repeti tamen etiam in hoc illa ſemper tria: in ipſa primum eius natura, tres enim huius eſſe ſive modos, ſive gradus; deinde in iis, quae comminiſcatur atque teneat abſoluta iſta mens; in univerſa denique eius hiſtoria, uti inter homines, et in diverſis quidem agendi partibus atque formis, ſemet exſeruerit. Sicut in philoſophiae hiſtoria Rixnerus, in religionis hiſtoria Hinrichſius [1]) in ethices hiſtoria Henningius [2]) explicuerunt; ita tamen, ut apud hos etiam pateat, quam varia ſint et arbitraria illa ſcholae principia. Neque lucrata eſt aliqua artificio iſto diſciplinarum hiſtoria; ne dicamus, quaedam etiam eo contorta eſſe et vim paſſa; obſcurata certe ſemper fuere. Unus in his Henningii liber recta plurima et utilia reddit, ſed ex ipſo viri ingenio, non e ſchola et diſciplinae iſtius formulis.

Sic quoniam ad noſtram is cauſam potiſſimum attinet, Hinrichſius religionis et naturam et hiſtoriam quinque gradibus deſcripſit, qui ſi veri ſint et ex animi natura expliciti, clarius certe deſcribi poſſint. Neque qui univerſam etiam ſcholae ſententiam teneat, in ſingulas huius explicationes et ῥήσεις omnes facile penetraverit. Naturam ait divinam ſemet ad humanam demittere, et mutari in hanc; deinde animum humanum abire in divinam naturam: tum utrumque, Deum atque hominem, diſcordem fieri, animum humanum etiam ſecum: poſtea conciliari utrumque ſibi: poſtremo unum idemque evadere animum mentemque divinam. Nimirum tres illas actiones dicit mentis aeternae, quae eadem in humano etiam animo explicetur: tertiae denuo tres redeunt. Mentem illam primum in ſe conſiſtere, qua rudior abſolvatur religio; deinde ſibi ſe obiicere et ſiſtere, quae religionis ſcientia ſit; tum vero cultiorem religionem conciliare ſibi animum atque ſcientiam. Fieri autem id multis modis, dum et religio et ſcientia, coniunctae tamen, una alteri dominari velit: deinde in mentem quandam ſublimiorem ſcientia, denique in ſublimiorem vitae indolem et conditionem et religio et ſcientia abeant, atque in ea coniungantur. Et proprium hoc Hinrichſio videtur, quod diſſidium *(die Entzweiung)* ad tertium humani animi et cultus ſtatum referat: reliqui fere ad ſecundum. Fuerunt etiam, qui primas *myſticorum* ſententias propius ad hanc ſcholam admoverent, dum tertium illum animi ſtatum in reſignando collocarent, ut

1) *Die Religion im inneren Verhältniſſe zur Wiſſenſchaft. — Von H. F. W. Hinrichs. Berol.* 1822.

2) *Principien der Ethik in hiſtoriſcher Entwickelung. Von Leop. von Henning. Berl.* 1824.

cum Deo coniungi poſſet. Denique ad ea quoque, quae poſthac ſtatim monebuntur, illud maxime pertinet, in iudicio, quod de humanis rebus philoſophia iſta tulit, ſecundo, quem diximus, animi ſtatui varias tribui partes. Nam *et* inferior inde rationis uſus repetitur ſtudiorumque adeo arrogantia, cum vel in externis et finitis haereat, vel ad agendum bruto quodam impetu feratur; [1]) ſed *et* id illuc refertur, quod in mente potiſſimum et proprium inſit, ut nempe in rem et veritatem prodeat. Sic in libertatis etiam notione varius uſus apud illos exſtitit.

Sed, quae ſingula iam, praeſertim ex aliis philoſophiae partibus, ſuisque formulis, expoſuerit iſta ſchola; iis ea relinquimus, qui univerſae ſive hiſtoriam ſive cenſuram inſtituerint. Cui rei ne deſint inter noſtrates, et qui propediem eam ingrediantur, vehementer optamus: nam obiter fere etiam hiſtorici hanc ſcholam deſcripſerunt.

Iam ut propius ad libelli argumentum progrediamur, de iis primum agendum eſt (ut principio conſilium deſcripſimus) quae ſibi ipſi tribuat iſta ſchola, praeſertim in ea decretorum parte, quae ad vitam et ſocietatem hominum attineant. Sed quoniam de ſingulis infra disputabimus, univerſam prius cauſam deſcribemus. Scilicet videtur ea ſibi una mederi poſſe internis huius aetatis malis, ut cuncta iam et ſublimius et vero moderatius ſpectari et agi queant. Etenim ſenſu aliquo obſcuro alios, rudi quodam agendi impetu alios ferri, rationis, ingenuae illius et ſeverae, exiguam vim eſſe; inde ſtupore hominum, licentia, tenui intelligentia, vanis ſtudiis, coeca cupidine, omnia perturbari. [2]) Neque tamen in his ſibi conſtat Hegelii criminatio; quae v. c. obſcurum illum ſenſum vel ex infimo animi ſtatu ducat, eo, quo in ſe ſit, non explicatus, etiam, ut ad ſemet ipſum modo attendat; vel ex eo, quo in rebus inferioribus diſpiciendis ille verſetur. Hanc autem philoſophiam primum dicunt ratione explicare omnia, deinde conciliare homines et ordini et praeſenti, quae ſemper obtineat, rerum conditioni; adeo, ut, quae *ſint*, ea *vera* etiam eſſe, et in his acquieſcendum, ſtatuant. In quo primum omnino ſive conquerendum ſive commemorandum cenſemus, *religionis* atque *eccleſiae* diſertam fere non fieri mentionem apud ipſum philoſophum, qui in politica doctrinae vi unice

1) Et *voluntatem* etiam omnino dixit iſta tenuiora ſtudia, ut *Ph. des Rechts*, p. 24. ff.

2) Omnium acerrime talia profitetur praefatio libri *de iure naturae.*

occupetur: quemadmodum neque inter eas hominum rationes, quae ſint ratione conſtituendae, eccleſiam commemorat, ſive civitati ſubmittendam, ſive ſibi relictam liberamque. Iſtud vero inde commodi devenit, quod παρερμηνείας ſuas ad noſtram rem minus ſedulo ea ſchola attulerit.

Sed quod prius in ſe praedicat philoſophicum iſtud dogma, eſt id commune philoſophis omnibus, et ad philoſophiam attinet: atque ab hac etiam ſchola alienae ſunt eorum voces, qui vitae et ſocietati humanae conducere opinantur, ſi non *intelligantur* philoſophorum decreta. Et miramur ſane, quod eiusmodi formulis noſter adeo uſus fuerit; ſi vel maxime concedamus, obſcuritatem, quam ſcholae iſtius et decreta et ſcripta referant, eſſe in re poſitam, neque ſalva ea abeſſe potuiſſe. Iniuriam tamen illi fecerunt et univerſae huius aetatis indoli et quibusdam ſingulis e noſtratibus, eruditis etiam hominibus et rectis, qui ad *ſenſum* aliquem provocaviſſent, ſive in rebus vitae, ſive in religione. Partim enim alium iſti dixere, ac quem vere criminatus ſit Hegelius, implicitam nempe veri et recti divinationem, ſive, quae ſic tantum iſta aeſtimet, prout ſingulis, et ſuo deſiderio, externisve potiſſimum commodis conveniant, cum ad ipſas res meditandas atque comprehendendas convertere ſe nequeat: partim non veram et ipſam inde duxere cognitionem, ſed illud tantum principium cogitaverunt, a quo cognoſcendi ſtudia inciperent. Quemadmodum in Schleiermachero obtinet, egregio viro, et grandi noſtrae diſciplinae ornamento; quem cum peſſime habet Hegelius,[1]) apud intelligentes parum ſuae cauſae lucratur. Neque enim religionem ille ſenſu quodam, praecipue ſtolido, ut illi opinantur, contineri cenſet, ſed hinc egredi; neque aliud ſibi volunt huius etiam ſcholae amici, ac quod ille dixerit, dum gradus deſcribunt, per quos rationi etiam enitendum ſit. Sed in ambiguitate vocis vernaculae (*Gefühl*) aliter quoque iſti ludunt, ut ſenſus auctoritatem evertant.[2])

Alterum vero, quod iſti ſibi tribuunt, pervulgatum illud de ea ſchola hodie, etiam populi ſermonibus, miſerandum eſt, quantopere homines decipiat, et ſic quidem, ut, quam regere et illuſtrare vitam, iidem recte dixerunt, ut

1) Praefat. Hinrichſiani libri XIV. XIX. (Cf. *Phänomenol. des Geiſtes*, p. LXXXVII.)

2) Ut l. prius c. XX. ipſe philoſophus. Aliter enim ſenſus dicitur, cum animi tantum commotionem ſignificat, aliter, cum perceptionem, attinere aliqua ad ſe vitamque ſuam; de qua iſtic ſermo eſt. Sed utitur et ipſe illic bono ſenſu, cum docet, poſtremo redire debere omnia ad ſenſum.

philoſophia decipere illos inſtituerit. Primum enim, ut hinc exordiamur, quod *ſit*, *id ipſum verum ſemper eſſe*, qui vere et plane opinetur, ei vero et cogitandi et agendi finis impoſitus ſit; neque vero unquam is ſibi conſtabit; ut vel in Muhammedanis comparet. In Thoma Hobbio ἄθεος etiam olim habebatur ea opinio. At ſeiungendae ſunt in ea ſcholae ſententia formulae duae: *eſſe* ſemper id, quod verum ſit, et, quam diximus, id quod ſit, *verum* ſemper eſſe. Significat *illa* deinde tria: mentem mentisque efficientiam, unum eſſe *verum* ὄν, quae antiquiſſima philoſophorum vox eſt;[1]) deinde, veram intelligentiam nunquam eſſe otioſam, vagam, abstractam, qualem dicunt, ſed veri argumenti (*ſubſtantiellen, objectiven Inhaltes*, aiunt); denique, eo ſemper mentem eniti, id agere, ut in vitam certumque hominum rerumque ſtatum, ut in id, quod *vere ſit*, prodeat: quod et ipſum rectiſſime habet. Illi quidem hoc et de mente univerſa et aeterna dicunt, et de humanae mentis efficientia. Sed *altera*, quae ſe in illam doloſe ſaepe inſerit, non poteſt in huius etiam ſcholae dogmate niſi hanc duplicem vim habere: quaecunque ſint, e certo quodam rerum *nexu*, certove *ſtatu* ſive ſingulorum ſive ſocietatis cuiusdam prodire, et, qui cogitet de hominum conditione, aut efficere aliqua velit in eadem, eum *hinc* exordiri debere, ut quod accommodatum ſit et utile, et meditetur et agat. Quae, certe ſi recte intelligantur, et ipſa veriſſime habent. Aut illud etiam ſubinde ineſſe videtur, ad hominem atque ad rationem attinere, prodiiſſe aliqua ex parte ex ea, et eius aliquid continere, qualiacunque eveniant, omnia.

At, qui (non deliberato ſemper aut ingenuo conſilio) aliquam opinantur ex his decretis elici poſſe abſolutam obedientiam, ut homines, ordini ſemel inſtituto et ſtatui qui obtineat ſimpliciter parere et ſacrare ſe, inde diſcant: hi vero peſſime falluntur. Illud, quod vere ineſt in decretis iſtis, communis, aut virtutis eſt, aut prudentiae etiam (τὸ παρὸν εὖ θέσθαι) ſcire autem, manibus veluti brutisve viribus non eſſe aggrediendum id quod conſtitutum ſit, non philoſophiae eſt, ſed ſanae rationis: at[2]) quae menti non conveniant, aut in quibus nondum ea explicata ſit, ea ut corrigantur, et continuo, et plane, iſtud

1) Aliter ea Parmenidi dicta, aliter Platoni. Νοητὸν κόσμον unum ille cenſebat exſtare, hic, primarium eſſe. De illo denuo dicetur.

2) Eſſe autem talia plurima, plane confitetur philoſophus, *Ph. des Rechtes*, p. 7 ſſ. coll. 214. (*Das Vernünftige eindringend in die hiſtor. Einrichtungen.*)

haec etiam ſchola ſtrenue exhortatur, neque eſt, quae adeo ac haec poſitiva etiam quaevis averſetur. Et duo modo adiungit, neque ipſa tamen nova: philoſophiae primas partes eſſe debere, ut *intelligat*, ſecundas, ut agendo corrigat atque conſtituat ea quae exſtent;[1] alterum, non communem eius rationem, ſed eam eſſe debere, dum iudicet agatve, quae ipſi propria ſit, ſuperiorem, abſolutam. Abstracta autem intelligentia et expers rei atque argumenti, vel mere etiam negativa, qualem abeſſe iuſſit a cogitando atque agendo Hegelius, nusquam ea omnino eſt; ſed philoſophandi tantum aliqui abuſus ſic reprehenduntur, aut ſenſus et phantaſiae iſta impotentia eſt. Et obiter monemus (ea enim neque noſtrae perſonae ſunt, neque huius conſilii) cum unius imperium in civitate tueri inſtituat iſtud dogma, fallere etiam hic; neque et defenſoribus iſtis cauſa agit, et ſine discrimine fit, quod ſophismati res publicae ſuperſtruantur. Etenim ſi menti, explicanti ſe in conſtituenda hominum vita, hoc inſitum ſit, ire per ſingula ex univerſis; non inde ſequitur, debere eam in conſtituenda unius principis perſona ſubſiſtere, ſed eſſe in ſingula omnia, quae inter homines exſtent, penetrandum illi, et ſic res humanas ratione componendas.

Sunt haec univerſa potiſſimum, quibus iſta ſe ſchola commendare velit. At plura ad ſingula pertinent, de quibus deinceps exponendum eſt. Reſtat enim disputandum id, quod ſummum nobis propoſitum fuit: quae vere ex ea redundare nobis quidem videantur, et in communibus literis, et in re theologica. Sed illorum, quae extra noſtrum conſilium poſita ſunt, brevis hic quoque tantum nos decet notatio.

Nempe quibus integrum iſtud dogma ſuperſtructum ſit, varium eſſe et late patere, et ſpecioſius poni quam clarius, ſignificavimus iam, cum ſummum reddidimus. Praeterea ex his ipſis philoſophandi principiis theoſophorum ſomnia quaevis prodiere.[2] Neque viam hanc eſſe, quam ad perennem et certam philoſophiam ingrediaris; philoſophorum noſtrorum maxima pars cenſent, no-

1) Quae interdum durius, quam vel ſana mens, nedum philoſophia, ferret, elocutus eſt ipſe philoſophus. Sicut, cum philoſophiam dicit rerum ſtatum *ſequi*, aut, tempora *imperare* menti. Omnium autem duriſſimum, quod ſubinde iuſſerit civitatem imperare rationi et cohibere eam.

2) E Platonismo iſti talia duxerant; et tribus illis formis, quibus Deus ſe explicet, accommodabant chriſtianam, ut notatum ſupra, doctrinam de patre, filio et ſpiritu ſancto. Notabimus unum, vernaculum ſcriptorem antiquum, noſtris etiam valde acceptum, *de theologia Germanorum* (*die deutſche Theologie.*)

bisque perſuaſum eſt: ſed noſtrum non eſt, rei iſtius argumenta inire. Certum tamen habemus, illud Baconis Verulamii, naturae miniſtrum atque interpretem habendum eſſe hominem, anguſtioris quidem ſenſus fuiſſe apud ipſum, et patere abuſui; ſed univerſam tamen verae philoſophiae ſententiam reddere. At inſitas cenſebimus rationi, ſic etiam comparatae, primum rationes comprehendendi atque aeſtimandi res naturae et vitae, deinde primitias ſublimioris cuiusdam ordinis, ſive fidem aliquam has dixeris, ex illis rationibus minime nexam, ſive perſuaſionem, quae ex illis ipſis ſemet erigat atque explicet. Igitur modeſtam, ſed ſublimem, humanam, ſed divinarum rerum pleniſſimam, habebimus mentem et philoſophiam.

Verum, qualiscunque iſtarum rerum ratio cenſeatur, omnium certiſſimum hoc eſt, non licere philoſophia uti ad confundendos, ſed utendum ea ad illuſtrandos homines et confirmandos. Ergo plenum discriminis et mali exempli cenſemus, quod formularum quarundam *ſpecie*, adhibita ea potiſſimum ad res vitae humanae, conſulto ſchola iſta decipere ſoleat; quemadmodum praegreſſa notavere. Et licet laudanda ſit philoſophia, cum homines modeſtos reddere ſtudet atque contentos; cupimus tamen, veritate iſtud et re effici, non ut fallantur.

Sed quod plurimi hodie profitentur, philoſophiam, quam ſpeculativam appellant, noſtrae iſti aetati maxime convenire, praecipue igitur, qualem Hegelius doceat; propterea quod noſtri vel ad agendas res iuſto ſint propenſiores, vel myſticismo detineantur: nondum concedimus. Praeſtare enim ubivis cenſemus claram ſapientiam, qualem magnum etiam Hegelii ingenium plurimam ſubinde elocutum eſt; et, quae noſtris temporibus perverſa obtineant, ea ſana et ingenua mente eſſe componenda et conſtituenda. Neque, ſi vere illud teneret iſta ſchola, decere philoſophiam meditando ſe continere et remotam conſiſtere a vita et efficientia; recte iſtud ageret. Sed notavimus iam, etiam novatoribus, modo ii philoſophi ſint, ampliſſimam ab eadem hac ſchola licentiam factam eſſe; tantum abeſſe, ut ab agendo atque ab emendanda hominum conditione revocare animos voluerit. Et cum conſtitutum ordinem ubivis ſervari iuſſit, ſaepe non certum aliquem dicit, ſed id, quod omnino hominum ſocietas in ordinem quendam redacta ſit aut redigi debeat:[1] fortiterque Lud. Halleri ineptias confutavit. Neque my-

1) Sic illud etiam ſaepe hi profitentur, civitatem eſſe ante quam ſinguli ſint: neceſſariam nempe eſſe. Sed rempublicam etiam a ſocietate civili (*Staat*, *bürgerl. Geſellſchaft*) eodem ſenſu diſtinguit. *Ph. des R.* 241 ſſ.

ſticismum evertet, quae (ut diximus) eorum etiam philoſophemata tuita fuerit, quae obſcuritatem eloquendi, quae iudicandi et ſentiendi involucra foveat, denique, quae phantaſiae non adeo inimica ſit, ac viſa fuerit plerisque. Praecipue in theologicis ſtudiis, dum plane avocare velit, et a ſevera doctrina, et a ſpectandis ipſis rebus religionis chriſtianae atque eccleſiae.

Sed nimirum longe plura ſunt, quae ad religionem, theologiam atque eccleſiam monenda ſint ex Hegeliana diſciplina: et noſtra iſtic cauſa, noſtrumque ſcribendi conſilium cummaxime agitur.

Et cum de religione disputatur, quomodo ipſam habeant, qui huic ſcholae favent, non quaeremus, quae e ſcholae decretis, ſive omnino, ſive inter quosdam, exiſtere poſſint; ſed de ipſa ſententia, quam de religione iſti reddiderint. Novimus enim, laudabilem ſaepe inter philoſophos inconſtantiam deprehendi, ut ipſa ſua doctrina non explicent, quae perperam conſtituerint; deinde, ut ſunt homines, praeſertim noſtro hoc tempore, poſſe etiam cum incommoda religionis et notione et notitia, pietatem aliunde obtinere rectumque animum; licet communis hominum vita poſtremo ſemper detrimentum capiat e mala de illis rebus ſententia. *Religionem* vero, quae ad animum vitamque hominum attinet, omnino minoris faciunt, qui harum ſcholarum ſunt, dum ſcientiam unice commendant. Iſtud enim, quod e religione atque ſcientia, *oppoſitis* primum ſibi, tertiam nectunt mentis conditionem, quae utramque coniungat; parum immutat, neque enim ea conditio religionis nomine appellatur, neque in ea vere ineſt religio; et in mente atque ϑεωρίᾳ ſemper iſti cenſebunt ſupremam vitae humanae conditionem. Sed et huc et ad univerſam diſciplinae iſtius indolem pertinet, quod *ſcientiam* Dei unice decere cenſeat hominem, in quo ſibi maxime videtur noſtrae aetatis opinionibus adverſari. Contrarium ad paganam opinionem de invidia Dei refert, et nullam eſſe, ait, in illo eccleſiam chriſtianam. Verum non aequalibus noſtris, ſed communi et eccleſiae et philoſophorum ſententiae iſtic ſchola ea contradixit.

Sunt, qui Hegeliana decreta e Spinozismo nectant, et pantheismum ea profiteri dicant (quem eundem fere, non ſatis recte, cenſent Spinozismo); e theologis quidem cordatiores etiam, iique, quos certum eſt noluiſſe cauſae philoſophicae aliquod crimen facere.[1]) Sed pantheismi varia exſtitit facies, neque vulgaris is eſt, quem noſtri iſti teneant. Fuere, qui materialismo coniungerent pantheismum, et maxime ea rudis forma exſtitit. Paulo rectior Stoicorum fuit, eorumque, qui his ſe adiungerent: animam mundi Deum iſti cenſent, ultra quam non datum ſit eniti humanae intelligentiae.[1]) Deinde et idealiſtica et myſtica pantheismi forma exſtitit: hanc autem, de qua iſtic exponendum ſit, ϑεωρητικήν (ſpeculativam) habemus. Rerum vita et his Deus dicitur, ſed, ut ad ipſa earum principia cauſasque ſupremas reſpiciatur, et univerſa potius ipſarum natura ſpectetur, non peculiaris forma, qua ſingulae ſint.[2])

1) Ut Ven. Wegſcheiderus, inſt. dogm. p. 217. ed. 5.

Pantheismus tamen habendus eſt, et vere hinc nexum, quod rerum divinarum intelligentia et homini data cenſetur. Cenſetur enim ita, cum ad naturam rerum Deus refertur.[3]) Igitur cum peſſime habentur a philoſopho noſtri theologi, quod cognoſcendum Deum ab homine negent (brutam eam ille modeſtiam dixit, ſimilia olim et Spinoza), notionem ille de Deo conſtituit, quam hi repudiant. Ceterum nolimus ea decreta niſi ipſa veritate aeſtimare; neque ab iis, in quibus vel eccleſiaſticis dogmatis, vel hominum animis contradicant.[4])

Sed ex hoc ipſo aliud nexum eſt, in quo philoſophicae iſtius ſcholae deſcriptiones religioni improbandae ſint. Nimirum, utcunque ſe expedire velint, fatalismo aliquo implicantur, cum rerum humanarum hiſtoriam inſtruunt. Una enim vita, una ratio cenſetur et univerſae naturae et rerum humanarum; ut in his etiam certa illa, quam ante deſcripſimus, triplex forma continuo ſe excipiat eademque ſemper obtineat. Unde facilius etiam, ſed periculoſius etiam, illud conſtitui poterat, quod ſit id eſſe verum; quippe quod eventorum neceſſitate contineatur; et philoſophiam ſuorum tantum temporum ſibi conſciam eſſe.[5]) Neque providentiae divinae nomine talem ſententiam vel olim concepere vel nos con-

1) Hanc opinionem aperte et fortiter reiecit Hegelius, *Encyklop.* p. 211. Animam, ait, neque Deum eſſe, neque eſſe poſſe niſi ſingulorum (individuorum).

2) „*Gott, das identiſche und concrete Weſen der Natur und des Geiſtes*“ inter alia ille l. c. 280.

3) Placent ſibi hi philoſophi in Parmenide, cum ipſis, ſi eos audias, conſentiente. Verum ἓν iſtud τὸ ὄν καὶ τὸ πᾶν Eleaticae ſcholae, ipſe fuit univerſus mundus; mundi principium, aeterna mens, noſtris. At a Platonicis, velut a Proclo, ut horum ſententia diſcedat, ſupra iam diximus. Comparavit Cel. *Couſin*, philoſophiae inter Gallos et vindex et ſtator, Procli editionis in Vol. I. limine.

4) Sic, qui Hegelianae iſti ſententiae ſe oppoſuit, *Keyſerlingk: ſpecul. Grundl. von Rel. u. Kirche* (1824); quem ceterum neque univerſa ſua ſententia, neque artificio, quo in explicandis dogmatis verſatus eſt, theologis ſe probaturum, opinamur.

5) Praef. l. de iure nat. XXI: „*Philoſophie iſt ihre Zeit, in Gedanken erfaſst.*“

cipimus: cenſemus enim ea liberas tantum naturarum intelligentium actiones componi et necti inter ſe et cum naturae curſu, denique univerſum modo morale conſilium Dei cenſetur, cui ſemper conveniant et reſpondeant humana negotia omnia. Denique non ea habenda eſt veritas hiſtorica, quod neceſſaria et certa conſtituantur, quae inter homines exſtiterint; ſed quod talia et ex iis cauſis et principiis evenerint, qualia deſcribantur. Ceterum ut mentis eadem natura eſt, idemque finis humanae vitae; utique ſibi reſpondent humana omnia, redeuntque in hominum opinionibus, ſed ſuo ſingula modo et accommodata ſupremo generis humani conſilio, quae dudum exſtiterint. Verum, ſi qui huic ſcholae tribuere velint, quod arbitrium hominum reſcindat, quoniam neceſſaria omnia faciat; iis artem non invidemus, ſed negamus etiam arbitraria ſtudia humanae vitae ea tolli.

De nexu religionis et virtutis inter recentiſſimos philoſophos non cenſeri cum maioribus, aut digne etiam et probe, pervulgatam querelam cognovimus. [1]) Eas et noſtri hi plane ſeparatas habent et altius diſtinguunt, ſic ut in ſupremo animi ſtatu utraque demum coniuncta redeat; verum neque religionis (ut ante iam diximus) neque virtutis vera natura et integra redire tum cenſenda eſt, aut ambiguum certe iſtud manet, quale dicatur, ſemet ipſam tum explicare atque conſtituere rationem. Religio enim etiam vera illis philoſophis a vita abeſſe iubetur, quae mente ſe continere debeat, neque niſi ad abſolutum contendat [2]), deinde et morali doctrinae minus ab ipſis tribuitur, quam vel inanem quaeſtionem *(Abſtraction)* vel legis cuiusdam inſtar habere videntur, quemadmodum factum ſcimus ab antiquioribus etiam noſtrae eccleſiae theologis. Iſtud mittimus, quod Hegeliana diſciplina diſcrimen conſtituerit moralitatis et morum *(Moralität, Sittlichkeit)*, cuius licet ſenſus cenſeri queat ambiguus quidem, at idoneus, ratio tamen diſtinguendi formulas nulla exſtat. [3])

Quae ſi ita habent omnia, quemadmodum deſcripſimus; ſatis perſpicitur, ad communem, atque ut nobis quidem certiſſimum habetur, ad veram de religione ſententiam, ea minime attinere, quae Hegelii doctrina profeſſa ſit; nempe niſi formulis decipiaris. Sed adiungimus ſtatim de chriſtiana religione, quae nobis fluere ex illa videantur.

---

1) Ut in Wegſcheideri libello: *über die, von der neueſten Philoſophie geforderte, Trennung der Rel. von Moral.* 1804.

2) Cf. uberiorem deſcriptionem, *Ph. des Rechtes*, p. 258 ff.

3) In moribus nempe notio eius, quod

Duplex enim recentiſſimorum inter noſtrates philoſophorum ratio exſtitit ad rem chriſtianam; quam Schellingius etiam ſignificavit, cum altiorem ab empirica illius cauſae cognitione diſtinxit. [1]) Sic Hegelii etiam ſchola tenuius interdum eam habuit, eademque ſublimiorem eius uſum fecit; omnia tamen neque communi, neque certo aliquo modo explicuere. Res eo redit, hiſtorice ſi ſpectetur negotium chriſtianum, tenue eſſe et ex aetatis iſtius gentisque rationibus aeſtimandum; ſed ineſſe grandiorum rerum et ſymbola et allegoriam. At, quomodo inſint, non expediunt: ſive accommodari tantum opinentur notiones, aut rudiores aut quae caſu inter chriſtianos exſtiterint, ſive ſubfuiſſe altiorem quandam mentem et ſententiam, quae in rudiorem modo ſe formam exſeruerit. [2]) Deinde vero cum de indole religionis iſtius originaria agitur, dubitant, utrum in ſenſu ea tantum pio, necdum expedito et certo, fuerit, quem erecta ratio dudum ſuperaverit, quae voces a Kantio inde noſtris philoſophis maximopere placuerunt; an in vulgaribus temporis iſtius notionibus. [3]) Tamen vel ſic opinantur genus humanum aliquid aſſecutum fuiſſe, cum in iis, quae per Chriſtum oblata fuerint hominibus, coiverint, quae ſuperiori tempore ſingula tantum et diſperſa exſtitiſſent. Animum ſcilicet, qui inter orientales primum ſe a Deo vix diſtinxerit, deinde inter philoſophos diſcer-

---

vere ſit, ineſſe creditur (*Würklichkeit, Welt, concrete Geſtaltung der Idee*, aliisque id formulis deſcribunt). Sed apud ipſum Henningium, luculentum cetera ſcriptorem, hoc iſta cuncta promiscue ſignificat. Virtutem debere ex ipſo animo prodire, non accedere ad eum aut affingi (l. c. 165), alteram quandam naturam evadere (45 ff.), integram occupare vitam (165), ſe in hominum ſocietate et civili ordine explicare (168), omnino vere et ſentiri et fieri (184: „*Kein perennirendes Soll ſeyn.*") — Pertinent et haec ad univerſam disciplinae, quam ſupra deſcripſimus, varietatem.

1) *Vorl. ü. die Methode des akad. Stud.* p. 189. ff. (ed. 2.)

2) Neque clarius mentem explicuit ingenioſus, ſed mirabilis libri, auctor, non alienus is ab hac ſchola, P. Hjort: *Ioh. Sc. Erig., oder v. dem Urſprunge e. chr. Philoſ. u. ſ. w. Koph.* 1823. p. 142. ff.

3) Sed ſingularem ipſe philoſophus conſtituit rei iſtius rationem, *Encykl.* 283 ff. Religionem, cenſet, quae artibus antea comprehenſa fuerit, in re chriſtiana reflexam eſſe (ſic cum ſcholis loquemur). Inde res divinas in hiſtoriam ſacram et in notiones (praecipue patris, filii et ſpiritus ſancti) transiiſſe. (*Geoffenbarte Rel.*, ait, *der abſolute Geiſt auf der Stufe der Reflexion. — Darſtellung des Lebens vom Abſoluten in einem Kreislaufe concreter Geſtalten.*) Unde tertium gradum religionis cenſet, *philoſophicum*. Quae alibi, *Phänomenol.* p. 699

ptum, ſui ſibi conſcium iam liberumque ad Deum rediiſſe. Sed ea quoque non uno modo expoſita ſunt.

Verum in altiori illa doctrina, quam res chriſtiana ſive ſignificaviſſe ſive effeciſſe invita creditur, maior etiam diſſenſus deprehenditur; at nihil novi noſtris iſtic relictum fuit; et inter theoſophos certe inde a medio aevo communes tales opiniones exſtiterant. Scilicet non illi diſtinguunt, quae in eccleſia, et creſcente opinionum diverſitate, aliqua etiam e philoſophicis temporum iſtorum decretis, acceſſerint ad religionem chriſtianam et ad conſilium Chriſti; ſed dogmatum eccleſiaſticorum promiſcue omnium artificium, quoddam condunt, eorum potiſſimum, quae ad ϑεάνϑρωπον atque ad redemtionem pertinent. Haec etiam pro iisdem fere habent, et humanae atque divinae naturae et conciliationem et coniunctionem ſignificare, (*unendliche Subjectivität* fere dicunt) his fere modis opinantur.[1]) Ut chriſtiana aetas Deum in ſe iam animo et vita receperit; aut, ut cogitationem et ſenſum (obiectum ac ſubiectum) conciliaverit: aut, Deus in mutuo hominum amore ſemet ipſum amare inceperit; aut acceſſerit ad res mundanas debellandas divina virtus, aut (quae uſitatiſſima ſcholae ratio exſtat) infinita ratio una cum finita, quam tamen ſuperaverit, comparuerit.[2]) Et ad has tales notiones deinde, quae eccleſia de revelatione, de continua hominum Deique coniunctione, de fide et reliquis gratiae effectis, per adminicula gratiae comparandis, alia conſtituit, referre illi ſolent. Intelligent omnes, atque dudum intellexere prudentiores, quid eccleſia (nam de chriſtiana cauſa deinde agemus) artibus iſtis profecerit. Nempe ſua iſta minime ducet; neque adverſarios ſuorum dogmatum confectos, qui ab illis vani et leviſſimorum argumentorum homines vocantur. Omnino autem talia Chriſtus noluit, neque tulit caſtior eccleſiae diſciplina; et certiſſimum eſt multisque expoſitum, exſtitiſſe ea ſemper inter eos, qui, cum rem chriſtianam abieciſſent, nominis

ſſ. ſimilibus formulis reddidit, neſcimus, an non plane eadem dicta ſint.

1) Cf. Henning. l. c. 100 ſſ.

2) Talia liber etiam, qui hanc diſciplinam profeſſus eſt, reddit: *Chriſtus und die Weltgeſchichte, oder Sokrates und die Wiſſenſchaft. Bruchſtücke einer Theodicee der Wirklichkeit* (vindiciae igitur eorum, quae ſint: en κυϱίαν ſcholae δόξαν) etc. *Heidelb.* 1823. Liber, quem ſingula aliqua non inepte elocutum, non negabimus: novi tamen nihil, ſed confuſa et impedita omnia elocutus eſt. Amorem iſtic Chriſtus ſignificat, ad quem humana mens poſtremo enitatur; et ἀνάςασις καὶ ζωή ubivis dicitur, quod mentis ſ. conſcientiae humanae iſtae viciſſitudines ſint, moriendi nempe et reſurgendi.

eſſent tenaciores, et exemplum conſilii iſtius ductum eſſe a Platonicis recentioribus, qui mythos ſic haberent, cordatiorum nemini adhuc creditos. Ergo non mirandum, cum ethnicorum decreta, anthropolatria praecipue, ab iſtis ſcholis et noſtra etiam hac, eccleſiaſtico dogmati comparantur. Poſtremo non efficitur iſtis machinis, niſi, quod popularius iam eosdem philoſophos chriſtianae religioni conceſſiſſe, diximus.

De eccleſia ſupra iam ſignificavimus parum ſolicitos fuiſſe noſtros hos philoſophos. In quibus autem male eam habeant ipſorum decreta, in his modo praegreſſis declaratum ineſt. At, ſi de forma eccleſiae agitur, qualem iſta ſchola effectura eſſet, primum ea, ſi ſcholae formulas premere liceret, non proteſtantibus probaretur; quorum ſententia longiſſime abeſt ab eo, verum eſſe id ſemper, quod exſtet.[1]) Et fuerunt etiam cognatarum certe ſcholarum plurimi, qui evangelicas partes quaerendi lubidini nimium ſemper indulſiſſe (quae pervulgata ubivis criminatio fuit) illarum quoque decretis probare vellent.[2]) Praeterea quo paralogiſmo illi unitatem imperii in civitate evincere ſolent, poſſint, ſi velint, et papae probare monarchiam. Tantum eſt, vera idoneis etiam argumentis ſibi informare; ne, dum rem, quam probare velimus, minime promoveamus, abuſui etiam argumenta pateant. Poſt remode theologia res ſimiliter habet, ſicut iſtic expoſita eſt. Sed ut perverſae de religione et de re chriſtiana notiones quaevis detrimenta inferunt in artem etiam et diſciplinam theologicam; ſic illud hic potiſſimum, quod ab ipſa illa, qualis inſtituta fuerit, philoſophorum iſtorum ſententia prorſus abducat. Novimus, qualem Kantiani olim quidam theologi ſive effecerint, ſive efficere conati fuerint theologiam: nempe formularum aliquod ludibrium, eodem et iure et inſtituto ad unamquamvis poſitivam religionem aliam admovendum, ſed absque ſtudio et eruditione facil-

1) Sed apertius tamen in hac cauſa philoſophus (praef. libri Hinrichſiani p. V.) diſtinguenda docet, quibus religionis idea neceſſario amiciatur (*abſolutes Sein, ewige Geſchichte*) ab iis, quae inter homines arbitrario aut forte accedant (*endlichen Geſchichten u. ſ. w.*). Et licet hic iniquior etiam poſitivae religioni videatur, reverenda tamen et haec docet (p. VI), quippe quibus et ſinguli et populus erudiantur, modo ne ieiunus iis abutatur intellectus. — Ceterum memorabile eſt, eidem formulae: quae ſint, eadem vera eſſe, et eſſe in iis acquieſcendum, notiſſimum ſcriptorem, *La Mennais*, librum de indifferentismo religionis ſuperſtruxiſſe, quo proteſtantium cauſam nuper aggreſſus eſt.

2) Ut Rixnerus, Hiſt. ph. III. 4 ſſ. („*Der neue Sündenfall des Proteſtantismus.*“)

lime comparandum; ceterum exſangue atque inane, quo et populus confunderetur. Quae ne noſtra aetate, ſtudiorum alacritate mentisque et vigore et conſtantia illuſtri, ne inter noſtrates redeant, quos et adverſarii confitentur non ſuperari usquam eruditione theologica; denique, ne per philoſophos accidant: non dicam veremur, ſed providendum eſt atque ſtrenue cavendum.

Ergo (hanc enim ſummam disputationis facimus) maneat hoc, philoſophia et noſtram theologorum ſcientiam firmari atque unice excoli, et magna ingenii et doctrinae praeſidia in hac etiam ſchola expoſita eſſe; ſed neque ex unius tantum ſcholae decretis eſſe philoſophandum, neque chriſtianae rei originem et principia poſſe ſine eruditione atque doctrina cognoſci; atque illis demum ſic conſtitutis, philoſophiae ſuper iis ſententiam quaerendam eſſe. Deinde vero et mentem praeſcribere et velle hoc ipſum chriſtianae religionis argumentum, ſobriam tantum atque modeſtam inſtituendam de rebus divinis quaeſtionem; neque Dei ſcientiam patere hominibus: licet neque ad ſenſus et phantaſiae imperium, cui ex iisdem cauſis parere voluere myſtici, modeſtiam illam referre liceat. Nimirum ita nos Chriſtus abducere voluit a cognoſcendi arrogantia, quo certiores et veriores in iis eſſemus, quae menti et intelligentiae noſtrae aperta eſſent. Haec autem animo ac vitae inſerviunt, ut vera religio nulla ſit, a qua virtus aut ablegetur aut ſe alienam ſentiat, aut cui ingenuae non inſint notiones libertatis et immortalitatis. Tum vero talem Chriſtus non profeſſus eſt diſciplinam, cuius pudere queat adultam rationem et philoſophiam, aut, quam opus ſit aut liceat etiam exornare ſuis allegoriis, quo placere poſſit philoſophis. Omnibus ille et hominibus et temporibus diſciplinam ſuam condidit, in quam qui ſinceri et recti penetraverint, magis ſemper et certius ſibi perſuadebunt de grandi, e quo prodierit, conſilio: eo nempe, ut omnes, ſed excitati undique et erecti ipſa hac diſciplina, caſtioribus ſuis ſtudiis iſtic coniungantur, eademque ut civitate divina et adiuventur ſemper et contineantur, quae bona et recta inter homines ſtudia obtineant. Quae cum ita habeant, novimus etiam iſtam vitae humanae rationem exſtitiſſe et fore perpetuam: quae ſana et recta ſint in philoſophia, facile ſe et plane coniungere rei chriſtianae, atque ad hanc adeo attinere; quae inania, quae temeraria, denique, quae falſa et perniancioſa, illius etiam ope et lumine ea cum reliquis hominum commentis poſtremo ſemper deleri, et vaniſſima omnium comparere, ſi qua adverſus chriſtianam cauſam ſe talia commoverint.